



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. III. De Libelli oblatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

TITULUS III.

DE LIBELLI OBLATIONE.

pag. 114.

§. I. Quid, & quotuplex sit libellus, & an necessarius, cuius offerendus sit? pag. 115.

ASSERTIO I. Libellus est scriptura brevis, clara, & ordinata; continens, ac demonstrans Judici, & parti, sive Reo intentionem Actoris, vel accusatoris: debet offerri in scriptis, n. 1. debet etiam esse brevis, & clarus, non obscurus, aut incertus, ratione nimis generalitatis, vel alternativæ petitionis, quamvis interdum alternativus libellus admittatur, n. 2. Est autem libellus primò, ac principaliter offerendus Judici, & ab hoc copia datur Reo, vel ab Actore, vel etiam potest libellus transmitti Reo, cum citatione, vel illius tenor inferri citationi, n. 3. Aff. II. Duplex est libellus, conventionalis, qui in civilibus causis offertur; & accusationis, qui in causis criminalibus porrigitur, n. 4. Aff. III. Jure hodierno libellus in Judicio ordinario necessarius est offerendus, sive coram Arbitro agatur, sive civiliter, sive criminaliter, n. 5. In Judicio verò, seu processu summatario, & causis brevioribus non est necessarium offerre libellum in scripto, n. 6.

§. II. Quomodo formandus sit libellus, sive, quæ in eo contineri debeant? pag. 116.

Libellus conventionalis tres partes continere debet, causam petendi, seu medium concludendi, narrationem facti, & conclusionem, seu petitionem, n. 7. causa petendi, quæ in libello exprimenda est, alia est remota, alia proxima. Hæc in causa reali est dominium, vel quasi dominium, ac jus in re: causa remota est factum, seu titulus, ex quo oritur, & acquiritur dominium, vel jus in re. In actione autem personali causa remota est contractus, vel quasi; delictum, vel quasi: proxima verò est jus inde competens, & obligatio ei correspondens, ex qua deinde oritur actio, n. 8. QUÆR. nunc I. quænam causa petendi exprimenda sit in actione reali? Resp. sufficit exprimere causam proximam, videlicet, se dominum, vel quasi dominum rei esse, n. 9. non sufficit tamen rem generaliter petere, sed debet res in libello specificè designari, n. 10. item, si de quantitate agatur, numerus, mensura, & pondus exprimi debent, & quænam præterea exprimenda sint, vel non? n. 11. QUÆR. II. quæ causa petendi exprimenda sit in actione personali? Resp. exprimi debet causa remota petendi, sive titulus, ex quo nascitur obligatio, v. g. ex mutuo, venditione &c. n. 12. & seq. QUÆR. III. quæ exprimenda sint in petitione, seu judicio generali, v. g. petitione hereditatis, vel generali. Resp. non est necesse, ut in libello designentur res singulæ, sed sufficit petitio generalis, n. 14. QUÆR. IV. quæ præterea exprimenda sunt in libello? Resp. circumstantiæ comprehensæ vulgato versu: quis, quid coram quo, quo jure petatur, & à quo, n. 15. QUÆR. V. quæ exprimi debeant in libello accusationis, seu criminalis? n. 16.

§. III. De mutatione, & emendatione libelli, eiusque effectu. pag. 119.

Quid intersit inter mutationem, & emendationem libelli, n. 17. Aff. I. Actor potest libellum in causis civilibus, & criminalibus mutare licitè po-

test, ante litis contestationem, non autem post illam, n. 18. Aff. II. Emendare tamen, seu corrigere libellum, seu mutare accidentaliter licitum est etiam post litis contestationem usque ad conclusionem in causa, n. 19. Aff. III. Effectus libelli oblationis est, quòd secundum petitionem in eo factam ferenda est sententia, n. 20.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS, c. 2. n. 10. & seq. c. 1. n. 1. & duobus seqq. c. 3. & ult. n. 12. & seq.

TITULUS IV.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

pag. 120.

§. I. Quæ sint, & dicantur mutue petitiones, & inter quas personas locum habeant? pag. 120.

ASSERTIO I. Mutua petitio est conventio in parte Actoris, & reconventio ex parte Rei, n. 1. Aff. II. Solus Reus conventus reconvenire potest Actorem: neque enim Actor potest Reum iterum reconvenire coram eodem Judice: requiritur tamen, ut is, qui reconvenire alium vult, habeat legitimam personam standi in Judicio, n. 2.

§. II. Coram quo Judice fieri possit reconventio? pag. 121.

ASSERTIO I. Reus Actoris reconvenire potest, non solum coram Judice ordinario, apud quem ipse conventus est ab Actore, sed etiam coram Judice delegato, n. 3. cui enim commissa est causa conventionis, is cognoscere etiam potest de causa reconventionis, quæ est accessoria, & connexa cum causa conventionis, n. 4. Assert. II. Reconventio etiam potest coram Judice prorogato, quando scilicet Actor convenit Reum coram Judice non suo, id est, qui non est Judex aliàs competens Actoris: tum enim prorogat eius jurisdictionem, illique se vicissim submittit, ut vicissim ipse à Reo reconveniri possit coram eodem Judice: & quomodo hoc intelligendum? n. 5. solvitur obiectio, n. 6.

§. III. An laicus conventus à Clerico coram suo Judice seculari, vicissim reconvenire possit Clericum coram eodem Judice? pag. 122.

ASSERTIO I. Clericus, vel etiam laicus non potest reconveniri coram Judice seculari in causa spirituali, vel ei annexa, n. 7. Assert. II. Clericus non potest reconveniri coram Judice seculari in causa criminali, sive agatur criminaliter ad penam corporalem, vel vindictam publicam, sive civiliter ad penam pecuniariam, n. 8. Assert. III. Verius est de Jure communi, Clericum, in causa etiam civili, & temporalis, non posse reconveniri coram Judice seculari, n. 9. & seq. nisi contra Clericum, qui convenit laicum in causa profana coram Judice seculari, à laico opponatur aliquid per modum exceptionis, vel accessorii, n. 11. Solvuntur obiectiones, n. 12. opposita tamen sententia in praxi damnari non potest, n. 13.

§. IV. In quibus causis habeat locum reconventio, vel non? pag. 125.

ASSERTIO I. Regulariter reconventio habeat locum in omnibus causis, in quibus non expressè prohibita, n. 14. Assert. II. Reconventio non habet locum in criminalibus; ubi tamen